

1. Merentur curiosam inspectionem conchæ echinatae, striatae, villosae, hispidae, denticulatae, fasciatae, bivalvules, rotundae, excavatae, pyriformes: pectines varii, diversae magnitudinis, figurae & colorum, bivalvules, denticulatae, fasciatae, striatae, turbines, cylindrici, umbilicati, cylindroides & conici, variae magnitudinis, coloris & figurae, cochleae turbinatae, conchæ anomiae venereae, inter quas nautili species, it: Neritæ purpureae, aculeatae, matres unionum majores, stellæ marinæ, echini marini, uvæ marinæ & varia Halcyonia barina exotica varia, cochleae exoticae.

DEMONSTRATIO XLVIII.

Metalla facile destruuntur, & in mineras suas reducuntur per principium sulphureum & salinum.

*Experimenta.*

1. Ultra bis mille species minerarum metallicarum, sulphurearum, salinarum, terrearum ex Hungaria, Misnia, Norwegia, Tyrolia, sylvæ Hercinia demonstrantur, & qua ratione illa ipsa separanda & sequestranda sint a scoriis suis per artem metallurgicam, item examen per capellam, ostenditur.

2. Characteres essentiales, quibus quodvis minerale dignosci potest, exponuntur.

3. Mediante sulphure, cuprum, plumbum, ferrum, stannum, argentum, mercurius, regulus antimonii in suas mineras reducuntur.

4. Ipsum aurum quoque sulphure in pulverem & crocum verti potest, modo prius figatur in igne mediante sale alcalino, quod sulphur in igne detinet, secundum notissimum modum Monschnideri, Glauberi.

5. Fundamentum metallurgiae & docimasiae monstratur, quod consistit in separatione sulphuris a mineris, & debita liquefactione minerarum.

6. Va-